

existimetur, non defuit instantissimus atque grauiſſimus Orator, siquidem pro libertate contra Pisistratum Solon stetit, sed nec armis sed verbis certabatur, tamen Pisistrati eloquentiæ, succubuit libertas, cum Solone ipso, qui sub iugum trahebatur populo plaudente. Fuit autem Pisistratus & doctrina & ingenio clarus, ut qui primus Homeri libros confusos (sicut Cicero testatur) sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus.

PERICLES.

HVius & tyrannidis & eloquentiæ Successor Pericles, dicendo tam similis fuit, ut qui hunc audiret, illum audire se crederet, si non vnquam audiuiſſet. Hoc tamen iste valentior, quod alter eloquentiam armis iuuerat, huic sola lingua suffecit ad Imperium: Quod & diuturnum gessit, & magnificentum, quadraginta annis Rempub. tenuit, eodemque tempore, & urbanis rebus præfuit, & bellicis, inermis ipse, sed tam armata vultus eloquentia, ut cum aduersus omnium salutem diceret, cum delectatione tamen ab omnibus audiretur. Aduersa enim rebus erat species verborum, & populo nocens populariter loqui videbatur, neque solum vul-

BUS